LAI

A.

I.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum Decadis II. EXERCITATIO X. & ultima De MORTE ET MORTALITATE Physiologica & Historica

Disceptationis loco in Gymnasio Gedanensi proposita

PRÆSIDE
HENRICO NICOLAI
Phil: Professore Publico
Respondentis partes tenente
JOHANNE PETRO TITIO
Lignitio-Silesio.

Ad diem 15. Julij. S. N.
In Auditorio Philosophico
Horis ab 7. matutinis.

GEDANI. Typographo GEORGIO RHETIO exscripta. ANNO 1637.

Miscellaneorum
Decadis II. Exercitatio X.

De morte & mortalitate.

H*Vmanæ vitæ conditio præcipuè* ab primo & ultimo die *continetur: cum multum interesse sciamus, quibus auspicijs inchoetur ille, & quo fine claudatur. Ac illũ demùm felicem verè æstimemus, cui & accipere lucem prosperè, & reddere placidè contigerit. Medium modò aspero, modò tranquillo decursu peragitur: ac spe minus existit, dum cupidè votis extenditur, & ferè sine ratione consumitur. Sed finiendi cursum maxima cura habenda est, cum, ut æqua moriendi necessitas universis incumbat, diversa tamen finientes fata experiantur. Quippe mors, dicente* Senecâ in Thebaid. *ubiq; est, Sed mille ad eam aditus patent. Sed & tùm vitam non sine ratione consumemus, cum, quid vivendi finis sit, curiosiùs perquisierimus. Etenim, quid ipse vitæ exitus sit, quem mortem dicimus, definire, non minus arduum depræhenditur, quàm vitæ rationem explicare. Ille festivus epigrammatum lusor ex modernis, quid sit mors, dicere rogatus, ludendo effugit, cum ita* l. I. epigr. 101. *jocatur:*

Mors quid sit, rogitas? Si scirem, mortuus essem:
Ad me, cum fuero mortuus, ergò veni.

Conemur tamen post vitam etiam mortẽ explanare, & finem vitæ commentando decadem secundam *Miscellaneorũ concludamus. Ita* dum ad discendum semper nos pauperes æstimamus, ad docendum nos reddemus locupletissi-

mos *cum Socrate ap.* Valerium Max: l.8.cap.7. n. 8. extern:

2. *Consideratur mors* & *in Theologiâ, ut est stipendium peccati,* Rom: 6. v. 23. *in Christo somnus.* 1. Thessal. 4. v. 13. *aditus ad vitam.* Joh. 5. v. 24. 2. Tim. 1. v. 10. *ac ut beata esse potest.* Apoc. 14. v. 13 & *in Medicinâ, ut medicamentis protrahi & præcaveri potest.* Syr: 38. v. 1. *seq.* & *in Ethicis, prout contemnenda aut prudenter eligenda est:* & *in Physicis, ut oppositum vitæ est, causis naturalibus inducitur, & compositi viventis destructio est: Quæ consideratio magnam partem nostræ disceptationis erit.*

3. *Sumitur* vox mortis *variè.* Interdum *tropicè pro lethali & mortifero. Sic* 2. Reg. 4. v. 40. *Mors in ollâ. Sic* Psal. 116. v. 8. 2. Cor: 1. v. 10. c. 11. v. 23. *Interdum pro re mortuâ, sic pallida mors, pro hominibus mortuis pallentibus. Interdum generalissimè pro quavis rei etiam inanimatæ corruptione. Sic sapientia mortua.* Job. 12. v. 12. *peccatum mortuum,* Rom: 7. v. 9. *Fides mortua.* Jac. 2. v. 17. *quæ non benè operatur & se exerit. Quandoq; pro quavis rei mutatione. Sic* Augustin: l. 3. con. Maximin. c. 12. *mutationem in mutabili mortem vocat. Et* Bernhardus, *omnis mutatio mors est, inquit. Sic Socrates ridebat homines mortem timentes, cum quotidiè morerentur. Sic cum ex infante fit puer, adolescens, juvenis, vir, senex, mori vocabant antiqui. Interdum pro capitis diminutione & degradatione civili, quæ mors civilis dicitur. Vt* l. 1. instit. tit. 12. l. 1. & li. 38. digest. t. 2. l. 4. *Interdum pro morte spirituali vel peccati.* Rom. 6. v. 2. *vel legis Judaicæ.* Gal. 2. v. 19. Col. 2. v. 20. *vel mundi.* Gal. 6. v. 14. *vel gratiæ divinæ.* Eph. 2. v. 5. 7. Colos. 2. v. 13. *vel æterni supplicij.* Apoc. 2. v. 11. c. 20. v. 14. Joh. 8. v. 51. *Interdum propriè pro naturali Physici viventis corruptione, quomodo in Physicis sumitur. Hoc modo adhuc* dupliciter *sumi solet,*

vel ut *motus & tendentia est*, vel ut *terminus*. Ut motus & *progressivè, sic notat ipsam corruptionem vel corruptivam mutationem vivi per separationem animæ â corpore introductam, ut cum dicimus, homo moritur.* Ut terminus *corruptione jam introductus est, sic est ipsum non esse corporis viventis, & est privatio ac negatio τȣ̃ esse vivum, ut cum dicimus, homo est mortuus. Sumitur vel pro viâ, vel pro termino. Priori modo est corruptio: posteriori privatio s. ipsum privatum esse. Et sic* maximè *hoc loco accipietur. Grammaticè dicitur â μόρος, quòd quasi μόρος βίȣ, corruptio vitæ sit, quemadmodũ morbus q. μόρος βίας, corruptio virium dicitur. Alio nomine etiam obitus, fatum, interitus, abitus, excessus. Sic Cicero excessum vitæ dixit, vel ê vita.* 2. Tusc. §. 27. *Antiquis abitio, ut ex Festo observat* Becman. p. 742. orig: *Poëtis etiam lethũ, morta, lethi via. Nex & cædes plerumq; de cruentâ morte dicuntur. Græcis θάνατος, μόρος, μοῖρα, πότμος. Hebræis* מָוֶת, אָסוֹן, דֶּבֶר, מַגֵּפָה. *Germanis* todt sterbẽ/ende/ außgang. *In sacris vocatur & dissolutio,* Phil. 1. v. 23. *somnus.* Joh. 11. v. 11. 13. *congregatio ad populum suum.* Gen. 25. v. 8. c. 35. v. 29. *via universæ carnis.* Jos. 23. v. 14. 1. Reg. 2. v. 2. *& similiter. Quidam per explicationem litterarum mortem dicunt, quod* Mordeat Omnia Rostro Suo, *vel, mutet omnes Res Sepultas.* V. Heidfeld: c. 38. sphyng:

4. *Ita* nomine *viso* rem ipsam, *quæ mors vocatur, videbimus per definitionem, causas, subjecta, divisiones, affectiones, ac cognata & opposita.*

5. Definitio *sit:* Mors est vitæ Physicæ essentialis privatio ex separatione animæ & corporis profecta.

6. *Circa definitionem nota 1. Definiri hic* mortem Physicam, *non spiritualem & hyperphysicam: nec æquivocam, quæ rerum non viventium & inanimatarum est, quas*

mortuas vocamus, ubi operationes satis vegetas non exercent. Sic magnetem mortuum, ubi ferrum trahere desiit. 2. Physico modo *& ratione, quatenus à ratione Physicè indagari, & in subjectis per physicum modum locum habet, non ut præcisè est pœna humano generi justè à Deo ob peccatum inflicta, quomodo in Theologicis considerari solet.* 3. Genus ejus *assignandum est per analogiam, non rigidam competentiam. Est enim mors* ens privativum & destructivum, *non positivum. Et privationes ut primò & directè in prædicamentis Logicis non sunt: ita nec primariò directis generibus & speciebus subjectæ sunt. Reductivè & secundariò ad prædicamenta referuntur; & sic etiam generibus subjiciuntur.* 4. Ut *inveniamus qualecunque ejus genus, inquirenda est mortis Categoria, ad quam per reductionem referri debeat. Et optimè ex opposito mortis, vitâ indagabitur. Vitam dixi esse actum substantialem rerum viventium,* d. 9. t. 4.5.6. *Ad idem ergo prædicamentum pertinebit cum substantiis, quarum est actus. Prout principia rerum, materia & forma, ad Categorias ipsarum rerum, quarum sunt principia, revocari solent. Sic anima humana ad Categoriam substantiæ, leonina ad eandem refertur, ut principium hominis & leonis formale, qui homo & leo Categoriæ substantiæ inferuntur. Cum ergò ex opposito* mors sit corruptio istius actus substantialis, *quem vitam esse diximus, consequenter reducenda erit ad ipsum substantiæ prædicamentum, Cujus est essentialis sublatio. Non quod vel substantia sit, vel sub ullâ ejus specie contineatur, ex quâ communionem aliquam generis participet, sed* quòd ejus privativum sit oppositum. *Ita enim privationes ad Categorias habituum reducimus, non quòd vel summum, vel intermedium, vel aliquod habituum genus participent, quod non nisi absurdè illis attribuas: Sed quòd sint opposita privativa istorum generum. Sic cæcitas,*

sur-

surdities, *reducuntur ad Categorias habituum*, *visus & auditus*, *qui in Qualitate*, *ejusq́; specie*, *potentiâ naturali sunt*. *Non dices*, *cæcitatem vel esse potentiam naturalem*, *vel qualitatē*, *vel accidens afficiens subjectum in Quale speciale*: *Sed assignando qualemcunq́; conceptum genericum ejus dices*, *cæcitatem esse potentiæ naturalis videndi privationem*, *surditiem esse potentiæ naturalis audiendi*, *qualitatis & accidentis qualitativi negationem*, *in subjecto per naturam debito*. *Similiter de morte procedendum*. *Non dices*, *mors vel est animal*, *vel corpus animatum*, *vel substantia viva*: *Sed eorum opposita privativa assignabis*, *dicesq́;*: *mors est animalis*, *corporis animati*, *substantiæ vivæ Physica & essentialis destructio*.

7. Duo *sunt quæ hic dubium queant suffundere*. *Ea*, *ut toti materiæ majo lumen fœneremur*, *subjungemus*. 1. Si mors *est destructio*, *erit corruptio*, *& consequenter mutatio & motus*, *generationi oppositus*. *Si est motus*, *ad actionis aut passionis Categoriam reducenda erit*, *Eò enim generationes & corruptiones rerum referuntur*. *Et consequenter malè ad substantiam reducitur*, *tanquam ejus privativè oppositum*, *cùm sit generationis privativè oppositum*. *Vt dubium solvatur*, *advertantur sequentia*. 1. Corruptio *spectatur* vel *ut est tendentia quædam ad terminum*, vel *ut est ipse terminus*. *Priori modo est motus*: *posteriori est terminus jam motu destructivo acquisitus*, *i. e. ipsum destructum esse*. *Quemadmodum* generatio *sumitur* vel *pro tendentiâ ad formam introducendam*, *sic est mot⁹*: vel *pro ipso esse per formā jam introducto*, *sic est terminus motus*, *& ipsum generatum esse*, *non generari*. 2. *Generatio & corruptio conveniunt in mutatione*, *per quam utraq́; definitur*, *generatio enim physica*, *de quâ hîc loquimur*, *est mutatio à non esse ad esse*: *& corruptio est mutatio ab esse ad non esse formæ in materiâ*: *Sed non ut in rigido genere*,

quod

quod univocè & per æqualem attributionem prædicetur de utrâq; specie, nam generatio est vera ac positiva mutatio, per quam verum aliquod esse introducitur: corruptio verò nec vera nec positiva est mutatio, ac per eam non esse, sed essendi negatio introducitur: Sed ut in analogico per attributionem, quod primò & per se competat generationi, secundò & per dependentiam ac attributionem ad generationem corruptioni. 3. Eodem modo mors spectari potest, vel ut corruptio, vel ut corruptum esse & terminus est, V. t. 3. *Ut corruptio, sic est mutatio analogica, & ad passionis Categorian reducetur. Sed hic maximè spectatur ut terminus & corruptum esse est, & sic pertinet ad Categoriam oppositi sui termini, cujus est privatio. Qui cum hic sit substantia Physica animata & viva, rectè ad hujus Categoriam, ut ejus essentialis privatio & destructio refertur. Et hâc ratione* magis substantiæ prædicamento quàm actionis aut passionis reductivè *assignari commodius videtur.* 2. Dubium est, *si mors est privatio, est nihil. Si est nihil, nequit esse pœna peccati, quod est per* t. 11. *R. ad majorem, tùm est nihil sc. non simpliciter & negativum, sed* πῶς *& privativum, in certo subjecto. Sic destructio domus est privatio & nihil privativum, non negativum: aut ens positivum, sed corruptivum. Et tale pœna peccati esse potest.*

8. Varia *aliàs circa genus mortis assignandum Philosophorum est distractio.* 1. Quidam *separationem animæ pro genere assignant, prout vitam unionem & permansionem animæ definiebant.* d. 9. t. 7. Ita Conimbr. l. de vit: c. 3. *Sed ut* c. l. *ostensum, accuratè vita non est unio animæ cum corpore, sed in & ex eâ: Ita ex opposito mors non est separatio ipsa animæ & corporis, sed ex eâ profecta. Mors enim hic non pro motu & corruptione, qualis est ista separatio, sed pro* termino corruptione introducto, *accipitur, qui est ipsum non esse*

vivum

vivum Physicum. Sed Philosophis solenne est, loco generis causam & τὸ διότι ponere, ut c. l. *deductum.* Quidam *cum addito, dolorissimam separationem mortem dicunt, ut* Jacob: de Clusa ap. Barthol: l. 8. ench. Phy: c. 9. *Falsò. Non enim semper mors cum dolore, ut cum spiritus extemplò dissolvuntur, ut in gaudio emorientibus: aut quibus senili marcore mors obvenit, & interdum cicutæ haustu, ubi mors citra dolorem infertur. Ita si venis in balneo sectis sangvis emittatur, velut sopor aliquis surrepit mors citra dolorem.* 2. Quidam *cessationem omnium functionum animæ definiunt, ex* Scalig: ex: 307. s. 33. Magirus l. 6. Phy: c. 4. *Sed vita non est functio aut operatio, sed actus substantialis & principium functionum in vivente.* d. 9. t. 9. *Ita nec mors est cessatio functionum, sed privatio vitæ & principij functionum, ut rectè Scalig:* c. l. 3. Quidam *negant, mortem esse destructionem compositi, sed tantùm dissolutionem partium ejus, quæ per aggregationem ad unum, constituerint compositum. Sic per mortem non destrui essentiam hominis, sed dissolvi partes. Unde dissolutio dicatur* Phil: 1. v. 23. *& Paulus cum Christo esse desideret. At non possit esse cum aliquo, cujus essentia sit destructa. Ita* Gorleus ex: Phil: 12. *Hæc ex falsis hypothesibus procedunt, quasi nullum compositum sit essentiale & per se, sed omne per aggregationem partiū. Sic omne compositum salvum manere possit, etiamsi una & altera pars sit ablata. Sic exercitus salvus manet, etsi unus alterq; miles desit. Sic acervus lapidum salvus, etsi unus aut alter lapis dematur. At homo nunquam constabit, si corpus vel animam demas. Unde patet, longè aliam partium & unionis hic esse* in toto essentiali *rationem, quàm in aggregativo. Deinde non potest esse cum aliquo, cujus essentia totaliter quoad omnes partes essentiales est destructa. Sed ita hominis essentia in morte non destruitur; manet*

enim

enim vita in animâ humanâ ut radice & fundamento suo, â quo in corpore & composito formaliter conciliabatur, ut d.9. c. 21. *visum. Et sic secundum potiorem sui partem, animam, Paulus cum Christo post dissolutionem esse desiderat.* 4. Empedocles *mortem igneæ naturæ secretionem esse dixit:* Anaxagoras *animæ divulsionem:* Leucippus *excretionem nimiam animati caloris: Alcmæo abscessum sangvinis plenum statuit,* ap. Plutarch: 5. d. plac: Phil: c. 24. 25. *Alij resolutionem animarum in Lunam mortem dixerunt,* ap: eundem l. d. facie in Lunâ. *Quæ omnia deliria vel Tropici lusus vocabulorum sunt, quibus immorari nihil juvat.*

9. 5. Quidam *mortem hominis totalem annihilationem & omnium partium essentialium destructionem putant esse. Vt Photiniani.* Smalc: l. de div: Chri: cap. 13. *Resurgere est ex non existente iterum existere. Negant etiam animas humanas post mortem separatas existere, & sensu actuq; præditas esse, & dicta pro immortalitate animæ adducta singula enervant.* Smalcius d: 7. c. Franc: p. 409. 410. *Ambiguè de eâ loqvuntur Racovienses in colloquio suo* ap. D. Gerhard: de morte. §. 149. *Animam comparant ingenio, sagacitati, valetudini, quæ etiam DEVS dederit.* Socinus c. Pucc: f. 79. c. 1. *Sed hæc non sunt res subsistẽtes, ita nec anima subsistẽs erit. Et sic totus homo peribit. Negant jam esse Ecclesiam triumphantem, sed olim futuram esse.* Smalc: d. 8. c. Franc: f. 273. *Negant sanctos defunctos existere, sed olim extituros.* Smal: c. 100. err. Smigl: p. 33. *Negant beatos statim pervenire in cœlum, sed tandem perventuros esse.* Id: d. 4. c. Franc: f. 75. *Negant animam absq; corpore sensu vel ullâ voluptate frui.* Id: f. 409. & exam: 100. error: Smiglec: p. 33. 34. 35. *Negant animas post mortem præmia vel pœnas accipere,* ap. Gerh: c. l. *Si hæc omnia negantur, quomodo anima post mortem*

tem

tem verè existere & vivere potest? Idem negant Anabaptistæ & Libertini *ap:* eundem c. l. *Accedunt & quidam ex gentilibus.* Seneca *Tragicus in* troad: a. 2. s. 3. *Post mortem nihil est, ipsaq́ mors nihil. Sic Hecuba apud* Euripidem : *Esse mortuum nihil est, vitæ insunt spes. Ita & plures gentilium. Falsò omnes.* 1. Si mors *hominis est totalis annihilatio, nullus eorum, qui in V. & N. T. à sanctis resuscitati fuerunt, fuit verè mortuus, quia nullus eorum annihilatus fuit. Et sic veritas miraculi divini in resuscitatione mortuorum patrati pessundatur.* 2. Si mors *est annihilatio, & Christus annihilatus fuit, nam & ille verè mortuus est. Sed hic non, non enim vidit caro ejus corruptionem.* Psalm. 16. v. 10. Act. 2. vers. 31. *Et sic nec annihilationem, quæ aliqua corruptio supranaturalis est. E. nec nos.* 3. Nemo *congregatur ad annihilatos & qui prorsùs non sunt. Nam quod prorsus non est, ad id nihil aggregari potest. Sed per mortem congregamur ad populum nostrum.* V. t. 3. *E. non possumus morte penitùs annihilari. De dictis oppositis, quæ de mortuis dicunt, quòd non sint, ut* Psal. 39. v. 14. Jerem. 31. v. 15. c. 49. v. 10. Thren: 5. v. 7. Sirac. 17. v. 26. *videbimus in* συζητήσει.

10. *Hæc* de genere *vitæ. Ex* differentiâ *dicitur, vitæ physicæ privatio. Mortis vocabulum de variis rebus dicitur, etiam non animatis.* V. t. 3. *Vt ergò pateat, cujus hic sit privatio mors, additur, quòd sit vitæ physicæ, ejus nempe, quæ ab animâ vivâ ut informante formâ conciliatur, ut visum* d. 9. t. 7. *Quodcunq́ ergò corpus physicum vitam physicam ab informante formâ conciliatam habet, id subjectum est morti, de quâ hic agitur.* Ultimò *additur causa* proxima mortis, *nempe, quòd ex separatione animæ & corporis proveniat. Vt vita non erat præcisè ipsa unio animæ & corporis, sed actus aliquis substantialis compositi ex unione istâ resultans,* d. 9. t. 7. *Ita mors*

non est præcisè ipsa partium essentialium separatio, sed destructio ex istâ separatione proveniens. Vulgò dicitur mors separatio animæ & corporis. Scalig. ex. 307. s. 33. *Sed id ita explicandum, ut vita dicebatur unio eorum,* d. 9. c. l. *causaliter non formaliter. Mors est separationem partium consequens, & ex eâ proveniens. Causam hic sumere oportet non rigidè, quomodo positiva & entia realia causas habent: sed latè & analogicè, quomodo etiam privationibus & negationibus causas assignare solemus. Sic tenebrarum causas recessum lucidi dicimus, & mortis causã, recessũ animæ vivificãtis. Hinc Scholastici* attributa de privationib⁹ positivè dicta non realiter, sed intentionaliter explicanda ajunt, *quatenus per modum formarum â nobis concipiuntur illæ, & sic subjectis inesse, ut formæ positivæ, intelliguntur. Et separationem animæ oportet sumere* indifferenter, *vel cum permansione animæ post separationem, ut in animâ rationali:* vel *cum desitione simplici, ut in formis materialibus, quæ post corruptionem compositi desinunt esse. Quod desinere alij per annihilari explicant, ut* Timplerus l. 1. Empf. c. 2. q. 13. Gorlæus ex. 15. s. 1. Pererius l. 15. d. nat. c. 4. p. 836. *Alij per simplicem desitionem essendi, ut idem* Perer. l. 14. c. 9. *& resolutionem in potentiam materiæ suæ, ex quâ prodierunt. Vt* Thomas p. 1. q. 104. a. 3. 4. Freitagius d. 2. c. Sperling: t. 32. d. 3. θ. 70. *Hocq; probabiliùs, ut alibi dicetur.*

II. Causas *mortis assignando, erunt illæ* vel *supernaturales,* vel *morales,* vel *naturales.* Supernaturalis *causa est Deus ejusq; ira, qui mortem ob peccatum minatus est.* Gen. 2. v. 17. *& ut justus judex infligit.* Deut. 30. v. 18. Psal. 90. v. 7. 9. Sirac. 11. v. 14. c. 17. v. 1. *Moralis causa est Diaboli seducentis malitia.* Sap. 2. v. 24. Joh. 8. v. 44. *& hominis peccantis apostasia & culpa.* Rom. 5. v. 12. 17. 21. c. 6. v. 23.

I. Cor.

1. Cor. 15. v. 22. *Hinc quidam dicunt: Anguis peccatum generavit in horto: Sanguis justitiam reparavit in arâ.* Heidfeld. c. 38. sphyng. *Alij Diabolum patrem, peccatum matrem mortis vocant*, ap. eund: c. l. *Naturales causæ sunt* vel *internæ* vel *externæ. Internæ sunt, continua qualitatum elementarium pugna, calidi & humidi radicalis quotidiana absumptio, & morbi ex malignitate humorum in corpore exsurgentes, affectus vehementiores, ac separatio tandem animæ & corporis, quæ est* proxima & universalis causa mortis, *quâ positâ ut inseparabile consequens mortem ipsam subsequi est necessariũ.* Externæ *sunt omnes violentiæ, quæ mortem animali inferre possunt. Vt ignis comburens, aqua suffocans, aër pestilens interimens, terra absorbens, gladij, fustes, conti, funes, venena, omniaq́ arma, quib⁹ mors inferri potest.* Finis *mortis est, partĩ esse pœnã peccati: partim malorum omnium levamen & terminum: partim in impijs esse maledictionem, & æternæ mortis initium. Materia mortis est subjectum, cui mors infligitur. De eo* th. 12. *videbitur. Forma mortis consistit in ipsâ privatione vitæ. De causis mortis variè delirârunt gentiles, ut ex quorundam de morte opinionibus* th. 8. *adductis patere potest. Galenus extinctionem caloris naturalis causam mortis ponit.* l. 2. d. temp. c. 2. & Conimbric: d. vit. c. 3. *Hæc causa propriè est in morte naturali, ubi paulatim calor deficit & tandem extinguitur. In violentâ etiam respirationis defectus, Dissipatio subita spirituum, abundantia humidi suffocantis, incussio teli lethiferi, & alia causæ mortis esse possunt, ut* th. 18. *patebit.*

12. Subjectum *mortis est* vel *totale* vel *partiale. Totale est* vel *generale* vel *speciale.* Generale *omne corpus animatum, quod animâ vivâ instructum est, ut plantæ, bruta, homines.* Speciale *est homo, & hic vel in genere vel in specie*

spectatus. In genere unusquisq́; homo, qui vivus in generatione factus est, & peculiari privilegio non excipitur sive foras in lucem emissus sit, sive in utero materno manserit, ibiq́; morte defunctus fuerit. Sic quosdam fœtus in utero materno emori ex historiis scimus. Quorum Hiob meminit c. 3. v. 10. *In specie inter homines* Christus & Adamus. Christum *in exinanitione morti subjectum, & reverâ mortuum esse ex historiâ Evangelicâ docemur.* Matth. 27. v. 50. *Olim hæretici quidam veritatem mortis Christi negaverunt, ut Cerdoniani ap.* Pontanum. c. 13. cata. hær: *Marcionitæ apud eundem*, c. 33. *Simoniani*, c. 53. *Basilidiani*, c. 9. *Manichæi*, c. 32. *Hodiè magnâ partem exoleverunt. Et ampliùs nec mors nec mortalitas Christo dominatur.* Rom. 6. v. 9. 10. Apoc. 1. v. 18. *Adamũ post lapsum & mortalem & actu mortuum fuisse ex* Gen. 5. v. 5. *scimus. Sed* an & ante lapsum fuerit mortalis *potentiâ proximâ, ita ut tandem actu mortem sustinuisset, gravis cum variis adversariis est controversia. De quâ antequam agatur, adverte pro statu controversiæ eo meliùs formando sequentia.* 1. Mortale *aliquid dici potest* tribus modis. 1. Remotissimè, *quicquid tale est, ut corruptionem aliquam sustinere possit, etsi actu nihil de eâ vel patiatur, vel in isto statu pati debeat. Sic Adamum ante lapsum mortalem fuisse non negamus. Habuit enim corpus animale, elementare, materiâ contrariis partibus & qualitatibus præditâ coagmentatum, cujus calor ex repugnantiâ & impuritate alimenti debilitari potuit: Creatus fuit in vitam animalem, talisq́; naturæ fuit, quæ dolere, pati, corrumpi, mori remotè potuit, etsi actu nihil illorum in statu integro experiri debuerit. Si tamen peccaret, talis erat, ut illa experiri posset. Prout post peccatum actu ea expertus fuit* Conf. d. 5. t. 18. 2. Propinquè, *cum aliquid per continuam partium absumptionem ad interitum non solùm aptum*

ptum

ptum est, sed & proclive, & ad corruptionem naturaliter propendet. 3. Proximè, *cum non solùm ad corruptionem aliquid propendet, sed & ipso actu ei tandem subijciendum est, eamq́; adveniente termino subire cogitur. Quomodo nunc post lapsum omnes mortales sumus. Primo modo Adamū etiam ante lapsum per naturam mortalem fuisse, concedimus, posterioribus negamus. Ante lapsum homo fuit mortalis fundamentaliter, non effectivè: Post lapsum imperialiter & effectivè, ut non solùm mori potuerit, sed & ob peccatum debuerit.* 2. Aliquid potest dici mortale *vel per naturam præcisè sumptam, vel per eam ut integram & donis concreatis perfectissimis instructam. Priori modo Adamum per naturam mortalem fuisse concedi potest, posteriori negamus.* Conf. t. 14. 3. Aliquid *est immortale vel absolutè & per summam naturæ necessitatem, ut Deus: vel per naturalem essentiæ simplicitatem, ut angelus, anima rationalis, & omnis spiritus creatus: vel naturæ glorificatæ conditionem, ut homines beati in vitâ æternâ: vel per concreatam & inditam naturæ perfectionem. Postremo modo hominem immortalem in integritate statuimus, non prioribus.*

13. *Et in eo nobis controversia cum Adversariis intercedit:* An Adamus in statu integro quoad omnia dona concreata & in imagine Dei spectatus fuerit proximè mortalis, *ut subeunte termino tandem morti actualiter subjiciendus fuisset, An immortalis hoc modo fuerit? Ad prius inclinant Adversariorum varii. Ex antiquioribus Pelagiani apud* Augustinum Epist: 106. & l. de hæres. c. 88. *Origenes & Origenistæ apud* Pontanum in Catal: hæret. c. 38. *qui corpora nostra etiam post resurrectionem mortalia & iterùm corrumpenda dixerunt. Unde sequitur, & in Adamo ante lapsum ita fuisse, nam post resurrectionem restituetur plenariè, quod*

in Adamo perdidimus. *Ex Neotericis quidam Pontificii, ut* Eugubinus annot. in. c. 2. Gen. ap. Bellarm. de grat. pr. hom: c. 2. *Alii concedunt quidem, primum hominem immortalem conditum fuisse, sed supernaturalis gratiæ id fuisse contendunt, per naturam autem fuisse mortalem.* Bellar: c. l. c. 9. Perer. l. 5. in Gen. n. 141. 142. Vallesius c. 6. de Sacr: Philos: Scotus in 2. sent. dist. 19. Valentia T. 1. d. 7. q. 4. p. 2. p. 1461. 1462. Thomas p. 1. q. 97. a. 1. *A quibus non multum abit* Keckermannus l. 2. syst: Theol: c. 2. p. 184. Photiniani *ad unum omnes hominem primum mortalem conditum docent.* Catech: Racov: p. 21. 26. Socinus in prælec. c. 1. & integro tract: con. Puccium. & l. d. servator: p. 3. c. 8. & respo. ad object: Cutteni fol. 85. Ostorod. c. 33. instit: §. 2. 3. seq. Smalc: d. 7. co Frantz: pag. 399. Stegm. in probâ c. 12. p. 462. *& alii.* *Estq; hoc dogma non minimum fulcrum totius religionis Photinianæ, unde & satisfactio Christi, & finis passionis ejus, & incarnationis articulus, & attributum justitiæ vindicatricis in Deo, & verus finis adventus Messiæ, aliaq; negantur vel pervertuntur.* *Photinianis consentiunt, ut in multis solent,* Arminiani in apol. c. cens: Leidens. c. 3. f. 56. 57. & c. 5. fol. 59. Episcopius d. 5. de oper: DEI. t. 4. Welsingius l. de offic. hom. Chri. f. E. 2. 3. *aliiq;.* *Accedit ex Philosophis* Timplerus l. 3. Empsy: c. 1. q. 13. *Ex gentilibus* Senecæ *Philosopho. Idem in excerptis tribuitur, mori hominis naturam esse, non pœnam: hac conditione intrare nos, ut exeamus. Sed illa excerpta Senecæ vix esse alii disputant.*

14. *Contrarium nostræ assumunt Ecclesiæ, præeunte* Augustino l. 6. de Gen. ad litt. c. 25. l. 13. d. C. D. c. 15. l. 22. c. 30. Lombardo 2. sent. d. 19. a. *aliisq;.* *Et rectiùs* 1. Qui *ad perfectam imaginem DEI creatur, non potest proximè mortalis creari, nam imago Dei summam omnium perfectionem*

enem in creaturâ comprahendit, & sic etiam incorruptibilitatem. Vnde Sap. 2. v. 23. *ad explicationem imaginis DEI conjungitur & ἀφθαρσία. At homo ita creatus est ante lapsum.* Gen. 1. v. 27. c. 5. v. 1. c. 9. v. 6. *Ergò proximè mortalis esse non potuit.* 2. Quod *est pœna & comminatio peccati, conditio naturæ integræ esse non potest. Sunt enim opposita, status naturæ integræ, & peccato vitiatæ. At mori, & proximè mortalem esse, ut tandem mors sequatur, est pœna peccati.* Rom: 5. v. 12. c. 6. v. 23. Gen. 3. v. 17. *& comminatio ejus.* Gen. 2. v. 17. *Vbi non solùm mors actualis vel æterna, vel moriendi necessitas intelligitur, sed & propinqua mortalitas, quæ ad mortem tandem tendit. Mors enim generaliter accipitur, pro* omni significato suo, quod naturæ adversatur: *& quoad initium suum, quod est propinqua mortalitas: & quoad progressum, quem dant morbi & imbecillitates corporis: & quoad exitum, qui est ipsa corruptio vivi.* 3. *Destructio naturæ non habuit locum in perfectione naturæ. Status enim perfectus corruptionem, uti contrarium suum, excludit. Mors est destructio naturæ, & propinqua mortalitas via & tendentia ad illam est. E. Neutrum in statu integro locum habere potuit.*

15. *Ad* opposita, *quæ hic objiciuntur, breviter hæc habe.* 1. Ex elementariâ *compositione & depugnatione, liberorum procreatione, ciborum assumptione & quotidianâ consumptione ac alteratione, animalis vitæ conditione, imaginis terrenæ gestatione, & similibus, mortalitas aliqua sequitur, sed remota, quâ aliquid absolutè quidem est corruptibile, cæteris tamen paribus: & ut possit etiam non mori, & sic immortale esse, si aliæ & magis propinquæ mortalitatis causæ non ponantur, quales peccatum & Diaboli invidia fuerunt.* 2. Aliud *est, dicere, aliquid mortale esse, solitariam naturæ conditionem ejusq́; essentialia constitutiva & consecutiva præcisè spectando: aliud,*

mortale esse in totâ concreatâ naturæ internâ & completâ perfectione spectatum. Prius de Adamo adseri potest, ubi ex meris principiis naturalibus constitutivis & consecutivis spectatur, qualiter nunquam extitit: Posterius non, ut cum gratiâ divinâ animæ & corporis, intimè naturam ejus perficiente & exornante consideratur, quæ ei concreata & pro statu perfecto naturaliter ac ordinariè conveniens erat, & in posteros, nisi peccasset, propagari debuerat; ac hactenus naturalis ipsi dicitur. Quomodo Adamus creatus est, & in statu integro extitit. Non homo absolutè quà homo, *fuit immortalis, sed* quà integer, *& cum donis totam naturam intrinsecè perficientibus creatus. Si DEUS hominem tantùm corpus naturale & physicum esse voluisset, principia corruptionis habuisset, ex quibus ipsa corruptio tandem secuta fuisset. Sed & eum integrum, felicissimum, & sibi similem esse voluit, unde proxima corruptibilitas excluditur. Vtcunq; fuerit Adamus mortalis* constitutione solius naturæ *& corporis animalis: immortalis tamen beneficio gratiæ* concreatæ & perfectionis naturalis *extitit.* 3. Christus *mortem & propinquam mortalitatem abstulit, finaliter, etsi non formaliter: non ut nos mortales esse aut mori non teneamur, sed ut non in morte manere, sed in vitā iterum revocari debeamus. Sic à peccato & Sathanâ nos redemit, non quasi nihil illa in nos habeant: sed quòd victoriam de nobis reportare non debeant. Sic Sathanæ tentationibus subjacemus, in Christo tamen victoriam ab omnibus istis reportamus.* 2. Cor: 4. v. 9. 11. Rom: 8. v. 35. 36. *& seq:*

16. *Ita* subjectum *mortis* totale, generale & speciale, *fuit.* Partiale *subjectum dici potest, quo extincto principaliter animatum moritur. Hoc est in animalibus* cor, *fons vitæ, ac primum vivens, & ultimum moriens, secundum* Arist. 2. de gen. an. c. 4. *Et cæteris visceribus corruptis vitalitas in*

corde

corde durat, ut Plinius *loquitur* l. 11. c. 37. *Unde sicut ab ipso ut à fonte vitales operationes dimanant: Ita illo validè læso vita adimitur. Unde & nullam gravem noxam cor patitur, aut animal moritur.* Excipi *tamen possunt extraordinarii quidam casus, in quib⁹ corde læso animal vivere ad tempus potest. Sic* Hegenitius in itiner: Hollandico p. 17. *narrat, militem in dextro sinu* cordis *vulneratum ultra 15. dies supervixisse, & ex sinistro sinu tantisper spiritus vitales profluxisse. Cæterùm subjectum mortis ultrà extendunt aut coarctant alii diversimodè.* 1. Quidam *etiam animas hominum mortales & tandem interire statuunt. De Photinianis, Anabaptistis, & Libertinis* th. 9. *id visum. De Epicuræis, Sadducæis, Arabibus quibusdã, Origene, Tnetopsychitis, Galeno, Lucretio, Johanne 23, & Paulo 3. Ponti: Rom: & Bembo Cardinale simile refert* Gerh: c. l. §. 149. *Stoicis eundem errorem adscribit* Pontanus C. 54. c. l. *sed contrarium ipsos sensisse* Lipsius *affirmat, & ex* Senecâ l. 1. ep. 120. *patet. Empedocles animam cum corpore morti subjecit,* ap. Plutarch. l. 5. de plac. Phil. c. 25. 2. Quidam *etiam homines in æterna vitâ iterum morituros esse ajunt, ut Origenes & Origenistæ ap.* Pontan. c. l. c. 38. 3. Quidam *corpus humanum totaliter mori, & nunquã resurgere dixerunt, ut Basilidiani apud* Pont: c. l. c. 9. *Carpocratiani.* c. 11. *Cerdoniani.* c. 13. *Essæi.* c. 20. *Manichæi,* c. 32. *Marcionitæ,* c. 33. *Saturniani,* c. 49. *Severiani.* c. 52. *Simoniani.* c. 53. *& alij. Accedũt his Anabaptistæ in* Colloq. Franckent: art. 28. *Et Photiniani, Socin⁹* resp: ad Pucc. c. 10. p. 281. 283.. Ostorod. c. 41. instit. Smalc. exam. 100. err: p. 36. & d. 7. co. Frantz. p. 407. 415. *Falsa hæc universa, ut in Theologicis pluribus docetur.* 4. Quidam *à subjecto mortis quosdam excipiunt, ut Enochum & Eliam, quos scriptura in cælum translatos ait.* Gen: 5. v. 24. 2. Reg. 2. v. 11. *Alij ipsos suaviter mortuos putant,*

& animas illorum translatas in cœlum, ut Calvinus in c. 5. Gen. *secutus Abenesram & Iudæos. Sed hoc contra* Syrac: 44. v. 16. Heb: 11. v. 5. *est. Alij circa finem mundi ipsos reversuros & tùm morituros putant. Vt* Cor: à. Lap. in. c. 5. Gen: v. 24. Perer. l. 7. in Gen: n. 140. Viegas in Apocal: c. 11. s. 6. Toletus in c. 1. Joh. §. 58. Bellarm. l. 3. d. Pontif: c. 6. *& Papistæ communiter. Sed scriptura de hoc nihil habet, & Hieronymus in* cap. 4. Matth: *Iudæis & Judaizantibus hæreticis illam sententiam tribuit. Rectiùs extraordinario exemplo eos â communi morte exemptos esse dicitur, cui aliàs lege peccati subjecti fuissent. Alij Ieremiam prophetam â morte excipiunt.* V. D. Gerh. de morte §. 58. *Alij Iohannem Evangelistam, ut Papistarum quidam ap. eundem* har: resur. c. 11. *Alij Mariam virginem & Iohannem Baptistam, ut eorundem quidam* ap. eund. de res: mort: §. 118. *Sed scriptura iterum nil de hoc. Quidam illos excipiunt, quos dies extremus vivos deprahendet, quos mutatum iri, non morituros, ajunt. Verè hoc, & ad mentem scripturæ.* 1. Cor: 15. v. 51. 1. Thess: 4. v. 15. 17. *Vnde & Christus judex vivorum & mortuorum vocatur.* Act. 10. v. 42. 1. Pet: 4. v. 5. *Quidam & hos morituros putant, unde lectionem* 1. Cor: 15. *aliter formandam censent, de quib. latè* vid. D. Gerh. d. res: mort: §. 115. *seq. Quidam Chæremonem quendam Nili urbis Episcopum excipiunt, qui cum conjuge ad deserta ob persecutiones Decij fugiens nuspiam postea sit inventus, etsi anxiè à fratribus quæsitus, ut Eusebius refert* l. 6. hist: Eccles: c. 41. *Quem translatum in cœlum sine morte putant.* V. Manlium Collect. p. 134. *Sed incerta hæc sunt.*

17. *Visæ sunt causæ & subjecta mortis: sequuntur* divisiones. *Hæ* vel *in species*, vel *subjecta, vel gradus. Ex* speciebus *mors est* vel *naturalis*, vel *præternaturalis*. Naturalis, *quæ*

na-

naturali modo calorem vitæ naturalem extinguit, & sic vivo interitum adfert. Dicitur naturalis, non quòd à naturâ sit, vel illi concreata sit, aut illi conveniat, est enim præter naturam, ejusq; destructio: Sed consequenter, quia citra violentiam externam *animati naturam naturali modo tandem consequitur. Fit hoc 1. ipsius caloris per quotidianum usum debitatione, quomodo omne agens naturale animatum agendo debilitatur, ut experientiâ constat, & rectè deducit* Scaliger ex. 23. s. 2. *Quod cur neget* Magirus l. 6. Ph. c. 4. t. 35. *non video: & 2. pabuli imminutione & non satis commodâ appositione, cum pabulũ non satis comminuitur, aut ad nutritionem disponitur, unde calorẽ extingui necessum est. Dicitur etiam marcor naturalis, in animalib⁹ senectus, in plantis ariditas. Sic cum senes aut arbores diuturnæ naturali quodam defectu tandem intereunt.* Præternaturalis *est, quæ præter ætatis rationẽ modo alieno infertur. Estq;* vel *mira*, vel *violenta*. Mira, *quæ mirabili modo, causis & tempore non speratis subit. In Indiâ Astomorum gens odore vivere dicitur, & graviore odore haud difficulter exanimatur.* Plin. l. 7. c. 2. *Quædam libidinosa in Venere sub viro extincta*, Camer. C. 1. c. 96. *Idẽ Corn. Gallo & T. Aeterio equiti contigit.* Plin. l. 7. c. 53. Quidam *gaudio insperato repentè obierunt, ut Sophocles & Dionysius:* Alii *dum calceantur, extemplò exanimati sunt, causis non satis liquentibus.* Alij *inter eundum, dum pedem offendunt, occiderunt.* Alij *in foro, in Capitolio, in sacrificio improvisò inter scribendum, medendum,* alij *aliter exanimati.* V. Plinium l. 7. c. 53. Val. Maxi. l. 9. c. 12. Alij *alijs modis celeriter pereunt.* V. Apolepht. p. 3. erquict. p. 849. seq. Drexel. prodi- æter: c. 1. §. 20. *Puer aliquis è striâ ex tecto in subeuntis caput delapsâ mortuus est, de quo* Martialis *epigramma vide l. 4.* epigr: 18. *Georgius Clarentiæ dux mori jussus in labrum vini*

Cretici se conjecit, & liquorem sorbendo stillatim admisit mortem. Drexel. c. l. c. 3. §. 22. *Mosis mors mirabilis, qui jussus mori à DEO in montem ascendens suaviter expiravit, modo incognito.* Deut: 34. v. 5. Josephus l. 4. ant. c. 6. *nube in vallem repentè sublatum docet. Alij negant mortuum esse, alij statim resurrexisse ajunt.* V. Corn: à Lap. in c. 34. Deut. v. 5. *Sed contra scripturum illa sunt. Similiter Aaron jussu DEI suaviter & mirè obijt, constans viribus & sanitate.* Num. 21, v. 29. *Rabbini multa de ejus morte confingunt.* Vid. Cor. à Lap. in c. l. Num: *Vxoris Lothi mors mirabilis, quæ momento mortua & in statuam salis commutata est.* Gen. 19. v. 26. *ratione corporis, non animæ, quæ incorruptibilis à corpore ad sua loca decessit. Tertullianus carmine de Sodomâ ejus statuam semper compleri scribit, etsi à viatore frustum de illâ decidatur. Aenigma super eâ hoc proponi solet:* Cadaver, nec habet suum sepulcrum: sepulcrum, nec habet suum cadaver: sepulcrum tamen & cadaver intus. *Quia nempe ipsa & sepulcrum & cadaver sibi est. Epitaphium ænigmaticum in hanc rem Bononiæ videri narrat* Drexelius c. l. c. 3. §. 11. *Quidam metu mortui, quidam tristitiâ.* V. Manlium collect. p. 743. Apolepht. p. 3. Erquickst p. 855. seq. *Quidam post mortem adhuc ambulârunt, erecti steterunt, locuti sunt, aliaq; perfecerunt, quæ vivi solent. Vt Leodegarius, Petrus, Ositha, Seu: Boethius, Dionysius Areopagita, Vrsus & Victor martyres, alijq;.* V. Drexel. c. l. §. 6.

18. Mors violenta *est, quæ violento modo præter ætatis rationem calorem nativum extingvit. Fit hoc variis modis. Interdum ab ipso calido corrupto, interdum à frigido, interdum aliis violentiis externis. A calido,* 1. Cum *ventilatio & refrigeratio caloris inhibetur vel corrumpitur, unde ipsum calorem suffocari necesse est. Sic qui muris includuntur,*

vivi

vivi sepeliuntur, aëris ventilati defectu suffocantur. Sic pisces in aquâ putridâ intereunt, quia aër non satis ventilat aquã. Sic in aëre pestilenti interimus, quia non satis depuratur aër ab vaporibus noxiis, quibus est refertus. Sic in aëre nimis calido suffocantur interdum animalia, ut in balneis, vaporariis. 2. Cum *respiratio in totum adimitur, & sic animal suffocatur. Vt qui suspendio & catharris suffocativis vitam finiunt. Quidam in hypocaustis ex calce tectoriâ recenti repentè suffocati.* Camer. C. 1. c. 27. *In Chiliensi provinciâ ventus subtilis & noxius est, qui extemplò calorem vitalem suffocat.* Idem C. 2. c. 70. *Philemon risu nimio senile guttur salebris spiritus prægravans suffocavit.* Valer. M. l. 9. c. 12. 3. Cum *ratione sangvinis, alimenti, vel pravitas, vel defectus, vel non justa proportio adest, unde calorem corrumpi oportet. Sic cum alimentum detrahitur, ut fame animal intereat.* Septimo *die inediam homini esse lethalem creditum est. Plinius plerosq; & ultra undecimum durâsse refert.* l. 11. c. 54. *Quidam in cruce per 9. dies famem pertulerunt,* Lips: l. 2. d. cruc: c. 12. *Septem dies inediam passos, etsi supervixerint, interire tamen ex Plinio refert* Bodinus l. 4. de Rep. c. 2. p. 554. *Erathostenes Philosophus voluntariâ inediâ se extinxit.* Apolepht: c. l. p. 873. 4. Cum *ob cordis motum deficientem etiam calorem naturalem extingvi oportet, ut cum animi deliquio, cordis palpitatione, aut alio graviore cordis affectu animal intermoritur.* A frigido, *cum frigoris violentiâ calor naturalis extinguitur, ut qui nivium mole in itineribus suffocantur. Interdum tanti nivium globi convoluti sunt, ut integros pagos & villas ad radices montium sitas obvolverint. Quales historias* ap. Fabricium l. 4. Cosmoth: sacr. c. 13. *videas Sexaginta milites Helvetij aliquando subversi niveo globo.* Id c. l. *Conf.* & Camerar. C. 2. c. 87. *Item qui nimiâ frigoris violen-*

tiâ

tiâ perimuntur. Qualia exempla hiems sævissima ante biennium & præsens hujus 1637. anni non pauca nobis suppeditarunt. Vel qui venenis frigidis intereunt, ut opio, cicutâ. Ab externis violentijs *variè mors infertur: Vt cum fulmine animalia exanimantur, gladio feriuntur, rotis contunduntur, ex superno delapsi emoriuntur, ædificijs corruentibus supprimuntur. Sic Fidenis theatrum aliquod collapsum 50000. homines debilitavit aut obtrivit.* Tacit. l. 4. ann. c. 10. *Spartæ gymnasium corruit, & puberes omnes oppressit.* Plutarch. in vit. Cimonis. Camer. C. 2. c. 100. *Eupolis Atheniensis primâ nocte cum uxore ex ruinâ thalami oppressus est.* Camer. C. 1. c. 96. *Aeschylus Tragicus ex testudine ab aquilâ in caput ejus illisâ perijt.* Val. M. l. 9. c. 12. *Erfordiæ Anno 1183. palatium Friderici Cæsaris collapsum, & octo principes cum multis nobilibus & militibus in latrinam delapsi expirârunt.* Apoleph. c. l. p. 874. *Item cum missilibus aut telis conficiuntur, à feris dilaniantur, à muribus consumuntur, ut Hatto Moguntinus, Popelus II. Poloniæ Rex cum uxore & liberis: Wilderadus Argentinensis Antistes, & alij.* Camer. c. l. c. 12. *aut phtiriasi pereunt, Vt Speusippus, Arnolphus Cæsar, Sylla, Alcmanes, Pherecydes, & alij.* Apolepht. c. l. p. 866. *Philippus 2. Hispaniæ Rex,* Lansius Or. c. Hisp. p. 549. *Quidam equis excussi, alij aquis suffocati, alij alijs modis extincti, qui innumerabiles. Conf.* Apoleph. c. l. p. 861. *seq. Vnde Poëta:* Mille modis morimur mortales, nascimur uno: *Sunt hominum morbi mille, sed una salus. ap.* Heidfeld. c. 38. sphyn. Petronius p. 78. sat. *eleganter: Illum bellantem arma decipiunt: Illum dijs vota reddentem penatum suorum ruina sepelit: Illum vehiculo lapsus properantem spiritum excussit. Cibus avidum strangulavit, abstinentem frugalitas.* Si benè calculum ponas, ubiq; naufragium est.

19. *Ex* subjectis *mors* alia *plantalis*, alia *animalis dici potest*. Plantalis, *quæ plantis competit, & vocatur ariditas.* Animalis, *quæ animalibus, & interitus compositi vocatur. Estq;* vel *brutalis, quæ in brutis animalib⁹*, vel *rationalis, quæ in hominib⁹ reperitur. Ex* gradib⁹ *per analogiā sic dictis mors* vel *totalis* vel *partialis esse potest. Totalis, cum compositum totaliter interit. Partialis, cum pars aliqua viventis extinguitur, ut vitam habere ampliùs non appareat. Vt cum in plantis rami quidam exarescunt, salvis cæteris. Cum in homine paralysis & hemiplexia uni lateri sensum & motum, & sic vitam adimit, ut unum latus hominis vitæ expers esse videatur. Ex gradibus mors etiam est* vel repentina vel lenta. *Repentina, quæ celeriter ingruit. De eâ* t. 17. *dictum. Lenta, quæ per morbos aut cruciatus successivos opprimit. Ejus exemplum est in illis, qui lentis cruciatibus ad mortem aguntur, de quibus* d. 5. t. 21. *& qui tabe, febribus, scorbuto, podagrâ solvuntur. Berengarius mortem lentè opprimentem optasse fertur, ut vel per febrim vel dysenterian solveretur, ne sermonis usu ad extremum usq; spiritum destitueretur.* Dresser. mill. 6. p. 161. *Ex* modis inferendi *mors est vel in alium relata, vel in se reflexa. Relata, quæ in alienum subjectum fertur. Vt cum latrones jugulant viatores, carnifex facinorosos. Reflexa, cum in proprium corpus fertur. Vt qui seipsos interficiunt, & αὐτόχειρες appellantur. Gentilibus admittebantur illi & laudabantur: Christianis nec ferri αὐτοχειρία, nec probari potest, nec etiam à magistratu jussa occupari debet, ut alibi disceptabo.*

20. *Fuerunt* divisiones *mortis: Sequuntur* affectiones. *Eæ* vel *antecedentes sunt*, vel *consequentes. Antecedentes, quæ mortis incursum antecedunt. Tales sunt signa, unde mors prævideri potest.* Plin. l. 7. c. 51. *Cum innumerabilia mortis signa sint ait, salutis & securitatis nulla sunt. Hæc à Me-*

dicis

dicis recenseri solent, ut oculi in cavum recedentes, crebra jactatio, loci mutatio, lectisterniorum lancinatio, & similia. V. Scholtzium s. 5. aphor. Med. Sennertum l. 3. inst. Med. p. 1. s. 4. c. 15. & par: 3. c. 1. Plinium c. l. Drexel. prod. æt. c. 3. §. 20. *In quibusdam prævisio mortis est singularis, non quòd intellectus incipiat ab animâ separari, ut ineptè Cardanus, contra quem* Scalig. ex. 307. s. 34. *Sed vel ob peculiare temperamentum: vel quòd anima magis sibi relicta attentiùs propria circa discessum sui à corpore præsentiscat: Vel ob singularem instinctum Propheticum.* 2. Reg. 1. v. 4. c. 20. v. 1. *Genethliaci etiam mortem prævident ex astris, sed scientiâ conjecturali, non immutabili, unde non esse edicta prætorum sua responsa dicunt, Quo de alibi. Communiter mortis determinatum tempus ignoratur, secundum illud:* Nemo obitus novit tempusuè, locumuè, modumuè. *Principes interdum peculiaria signa mortem prædicentia habent.* V. Drexel. prod. æt. c. 3. §. 20. *Cæsaris parricidium equi ubertim flentes præsagierunt.* Sueton. in Cæs. c. 81. *Comiti Höyensi pygmæus aliquis dono dedit annulum, cui ruber leo gemmæ loco insculptus fuit. Quoties fatum alicui ex ista familiâ imminuit, leonem expalluisse narrat* Hamelman: l. 1. Chron: Oldenburg: p. 22. *Metus mortis, quo naturaliter animal mortem horret, unde* Aristot. 3. Eth. c. 9. *omnium rerum maximè horribilem eam vocat. Hinc* Creo ap. Sophoclem: *Fugiunt & audaces retrò, postquam propè vitam in suam grassarier mortem vident.* Zimara q. 50. *quærit,* Cur Clerici præ alijs ægrè mortem perhorrescant? *Quod vel frigiditati & melancholicæ eorum naturæ adscribit, vel quòd penitus in familiâ suâ pereant, nullâ relictâ sobole successurâ.* Necessitas, *quâ post lapsum necessariò omni viventi est subeunda, nisi quis peculiari privilegio eximatur, ut quidam.* V. t. 16. *De eo* V. Drex. c. l. c. 1.

l. c. 1. §. 25. Generalitas, *quâ universaliter in omnia viventia Physica grassatur.* Consolationes, *quibus adversus mortem nos erigere debemus. Eæ* vel *naturales sunt & Philosophicæ, ex naturâ sumptæ, quas vide apud* Senecam l. 1. ep. 30. 71. 78. 107. *& plures persequitur* D. Gerhard. d. mort. §. 484. Vel *spirituales & Theologicæ, quas per 10. capita Idem digerit* §. 486. *seq.* Conf. & Balduin. l. 3. cas. Consc. c. 4. q. 7. Corn. à Lapide præf. pentadeuchi. Picturæ, *adumbrationes & hieroglyphica mortis, quomodo cranio humano appicto, modò compage humana osseâ, modò aliis modis mortem adumbrant.* Consequentes affectiones *mortis sunt, quæ ejus statum consequuntur. Vt deformitas cadaverum mortuorum & putredo. Nostra corpora in liquorem putridum resolvuntur: Orientalium quorundam, ut Persarum, in modum stipitis exarescunt, & in occidentali Indiâ in conclavibus appensa multos per annos ostenduntur.* V. Camerar. C. 1. c. 14. *Aereis imagunculis cadaveribus inditis putredinem longos per annos arcuerunt Aegyptii, æs enim putredini vehementer resistit.* Id. c. l. *Iidem medicatis aromatibus ita cadavera contra putredinem præmunierunt, ut ad 2000. & 3000. annos incorrupta servarentur.* Idem C. 2. c. 70. *Enchusæ in pinacothecâ D. Paludani cadaver Viri ostenditur, quod per annos 300. non contabuit, ut narrat* Hegenitius in itiner. Holland. p. 60. *Quidam ex spinâ hominis putrefacti angues generari scribunt.* Camer: C. 1. c. 11. & C. 2. c. 70. Plin. l. 10. c. 66. Gerhard. d. mort. §. 77. *Sed alii id pro fabulâ habent.* D. Frantzius d. interp. Scri. loco 133. *In nostris sepulcris tale quid non observatur.* Sepultura, *quæ varia apud varios fuit. Quidam terræ mandârunt defunctos, quidam cremaverunt, alii devorârunt eos, alii devorandos bestiis objecerunt, alii sumptuosis mausoleis & reconditoriis asservârunt. De illis vide* D. Gerhard.

c. l. §. 78. Camer. C. 1. c. 14. C. 2. c. 70. Cæl. Rhodigin. l. 9. ant. lect. c. 43. 44. 45. Heidfeld: c. 39. *Sphyn: Omnium gloriosissimè sepultus est Moses, ab ipso DEO immediatè.* Deut: 34. v. 6. *Quidã semetipsos adhuc vivi sepelierunt, & expirârunt. Vt L. bienus, Severus, Macarius, Combendaxis & alii.* Drexel. c. l. c. 3. §. 8. *Epitaphia, Carmina, Panegyres, etiam mortem consequuntur. Aliqua de his* Idẽ §. 11. *habet. Sunt & alia consequentia mortis, ut resurrectio carnis, quam futuram credimus: consummatio seculi & judicium extremum, quæ expectamus: vita æterna, quam exoptamus: & mors æterna, quam deprecamur: de quibus in Theologicis. Item testamentorum resignationes, de quibus in Jure plura. Quædã de his narrat* Drexel. c. l. §. 10.

21. *Ita* absolutè *mors considerata fuerit:* Respectivè *cum cognatis & oppositis spectetur. Cognata mortis sunt somnus, consangvineus lethi Poëtæ dictus:* V. Drexel. c. l. c. 3. §. 19. *& somnifera medicamenta, ut mandragora, unde mandragoram bibisse dicuntur, qui desides & à sensu velut abjuncti sunt, ut excitari vix possint.* V. Rhodiginum c. l. c. 48. *ecstasis, de quâ* d. 9. t. 23. *morbi omnes, mortis prodromi.* Drex. c. l. §. 20. *Melancholiæ, quibus se mortuos quidam putant, cujus exemplum apud* Manlium p. 749. *videas. Parcæ mortis deæ à Poëtis fictæ, quæ fila vitæ extendant & abrumpant.* Opposita *mortis sunt* vel *privativa* vel *contraria. Privativum, ut habitus morti oppositus, est vita, de quâ* d. 9. *Ei mors privativè opponitur, sed ut privatio cum purâ & totali negatione sumatur, quâ subjectum* totaliter *destruatur. Aliàs* propriè dicta *privatio non tollit naturam subjecti totaliter, & substantialiter, sed aptitudinem tantùm operandi: Mors autem est totalis & substantialis corruptio animalis vel plantæ, Tollit enim actum substantialem, qualis vita in vivente est, Deinde*

mors

mors *etiam* contrariè vitæ *opponi potest, quatenus ut corruptio spectatur, vita ut duratio essendi. Omnis enim corruptio opponitur durationi contrariè & adversè, tanquam duæ species ex adverso positæ, ut virtus & vitium. Contraria ejus sunt* vel *supernaturalia*, vel *naturalia*, vel *moralia*. Supernaturalia, *quæ à principiis supernaturalibus dependent. Talia sunt resurrectio mortui, & arbor vitæ in paradiso.* Resurrectio mortui *est hominis Physicè defuncti ad eandem vitam vera reductio, divinâ virtute peracta. Dicitur* vitam eandem, *quâ essentiam, non semper quâ essentiæ superjecta accidentia. Vita* Physica *reducitur, quia eadem numero anima reunitur eidem numero corpori, & sic idem actus substantialis vitalis per illam reunitionem in demortuo reproducitur, qui in vivo olim fuerat, in quo actu vitam Physicam consistere* d. 9. t. 6. *dictum fuit. Cætera accidentia vitæ reductæ, & ulteriores velut termini alii à priore vitâ esse possunt: ut cum in ultimâ resurrectione resuscitabuntur mortui alii ad gloriam æternam, alii ad opprobrium æternum. Sic cum post resurrectionem cibis & potu quidam utuntur, ut* Marc. 5. v. 43. *De quibusdam id non legitur. Ut* Matt. 27. v. 52. 53. *Interdum ad hanc vitam animalem reducti sunt mortui, ut filius Sunamitidis.* 2. Reg. 4. *Vir ossa Elisæ contingens.* 2. Reg. 13. *filius viduæ in Naïn.* Luc. 7. *Dicitur* vera *reductio, ut distinguatur ab apparente, quæ Magica & Sathanica, cum Diabolus aut magus ejus ope usus mortuum revocare in vitam videtur, cùm nihil minus agat. Sic cùm puellam aliquam demortuam per biennium circumduxit, ut quasi viva ambularet.* Manlius Collect. p. 40. Peucerus de div. p. 14. *Dicitur divinâ virtute patrata, quia aliâ vi resurrectio mortui vera produci non potest. Magica enim & Sathanica præstigiæ tantùm sunt, non veritates. Resurrectio mortui est* vel *particularis*, vel *generalis*.

lis. Particularis, *quando singulari exemplo unus alterq́ in vitam est reductus, ut exemplis adductis constat.* Generalis, *quando in decretorio die virtute Christi omnes mortui ad vitam revocabuntur, ut judicentur.* Joh. 5. v. 28. 29. Matt: 25. v. 31. 32. Arbor vitæ *fuit arbor paradisi terrenæ à Deo plantata, fructus in longissimam vitam animalem hominem conservantes producens. Varia de istâ arbore, ejusq́ virtute sentiuntur. Quæ* ap. Pererium l. 3. in Gen. n. 57. seq. Scharpium Curs. Theol. de imag. Dei T. 1. p. 189. Bellarm: de gra. pri. hom. c. 19. Corn. à Lapide in c. 2. v. 9. Gen. Vallesium de sacr. Philos. c. 6. *videas. Fanaticorum quidam eam divinas virtutes produxisse ajunt, ex quarum comestione Adam in æternum vivere potuisset, ut* Stiefelius. *De quo* D. Weberum in ψeudo-Christo ocreato c. 2. §. 6. *consulere possis.* Naturalia *contraria mortis sunt omnia Medicamenta vitam conservantia, mortem detinentia: ut præstantia cordialia, magisteria perlarum, auri; electuaria, catholica, & similia.* Moralia *sunt pietas, preces & opera pietatis,* 1. Tim. 4. v. 8. 2. Reg. 20. v. 5. *quæ vitæ producendæ, mortis protrahendæ promissionem habent. Omnes magnanimi mortem contemnentes, & etsi opus, strenuè ei se objicientes, ut Simson, Maccabæus, Sogdiani nobiles* ap. Curt. l. 7. c. 10. *Gymnosophistæ Indorum ap. eundem,* l. 8. c. 9. *Sancti, qui mortem non vitant, sed invitant, aliiq́.* Diogenes *mortem malam non esse dixit, quòd non sentiatur.* Erasm: l. 3. apop: §. 97. in Diogene.

22. *Ita* mors *tractata: Addendum aliquid de* mortalitate. *Mortalitas* interdum *ipsos homines mortales notat. Vt* Plinius l. 7. c. 40. *Vana mortalitas, & ad circumscribendum seipsam ingeniosa, pro; vani homines:* interdum *potentiam ad recipiendam mortem, ut hic. Ita interdum mortale dicitur* generaliter, *quicquid corrumpi aut extingui potest, etsi non*

si non præcisè animatū sit. Sic Quintil: l.5.c.12. *in rebus apertis argumentari tàm stultū ait, quàm in clarissimū solem mortale lumē inferre, pro, extingvibile lumen. Interdū* specialiter, *cum substantivè sumitur,* solum hominē *notat. Vt* Plin: l.12.c.17. *Tanta mortalibꝰ suarum rerū satietas est, alienarūq́ aviditas.* Definitur *mortalitas* ad subeundā mortem aliqua habilitas. Dividi *potest in remotā & propinquā.* Remota *est, quâ absolutè aliquid morti subjacere potest, de facto tamē subjacere non debet, nisi alio accedente. Hāc in Adamo ante lapsum fuisse suprà concessū est,* th.15. *Pro illâ fervidè depugnat* Socinꝰ responsſ: ad defen. Puccii.c.1.2.3.seq. Puccius *non homini solùm ante lapsum, sed* omnibꝰ creaturis *eā assignat, quasi nulla de facto interire debuerit, si homo integer perstitisset,* in epist. ad Socin. & defen. argū. suorū *ad eundē.* Argumēta *sequentia pro istâ sententiâ congessit.* 1. Deꝰ *fecit omnia sūmè bona.* Gen.1.v.31. *E. & immortalia, nā mors in summè malis est, & consequenter mortalitas, quā de facto mors sequi debet.* 2. In creaturâ *& Creatore ante lapsū analogia fuit. E. & immortales creaturæ fuerūt. Nam nihil magis dissimile immortali, quàm mortale.* 3. In faciē *hominis spiraculū vitæ est inspiratū, & factꝰ est homo in animā viventē.* Gen.2 v.7. *Sed spiraculū vitæ & anima vivens è diametro cū mortalitate pugnāt.* 4. Positꝰ *fuit primꝰ homo in summâ sede voluptatis. Sed nulla solida voluptas esse potest, ubi mors imminens expectāda est.* 5. Cibꝰ *hominis fuit immortalis, & ideò post lapsū negatꝰ ei, ne in æternū viveret.* Gen.3.v.22. *E. & effectꝰ ejus in corpore hominis fuit, quæ est immortalitas.* 6. In descriptione *creationis nulla est mentio mortis aut mortalitatis, nisi post lapsū.* Gen.3.v.19. *E. ante lapsū illa locū non habuerunt.* 7. Deus *mortē non fecit.* Sap.1.v.13. *Sed hominē fecit inexterminabilē & ad imaginem suā. Sed Diaboli invidiâ mors intravit.* Sap. 2.v.23. *E. nec mortalitas rebus concreata fuit.* 8. Per peccatū

mors intravit in mundũ. Rom. 5. v. 12. *Ê. ante peccatũ non fuit in mundo, & sic res fuerunt immortales.* 9. Restituitur *per Christũ, quod in Adamo fuit deperditum. Sed per Christum vivificantur omnia, quæ per peccatũ erant mortificata.* 1. Cor. 15. v. 22. *E. & istam vivificationẽ ante peccatum habuimus, & sic immortales fuimus.* 10. Si mors *ante peccatũ fuit, & Messias tantùm illã destruxit, quæ ex peccato est, E. Christus nos ad vitam naturalẽ mortalem restituit, qualem ante lapsum Adamus habuit. E. nobis post resuscitationem adhuc mors per naturã expectanda, Et Christꝰ nobis similis ipse adhuc mortalis erit, & nullam solidã felicitatem morte suâ comparavit, quippe quæ à morte immunis esse nõ possit. At hæc omnia sũt absurda. E. & id, ex quo seqvuntur. Quid his rationibus roboris insit, in discursu videri poterit.* Quædam *propinquã mortalitatem, quâ aliquid mori tandẽ debeat, benè excludunt, non remotã:* quædam *parũ solidi in se continent:* quædam *de morte concludũt, nõ mortalitate:* aliæ *malè ad creata universa extenduntur, cũ de homine inferre debeant. De cæteris creaturis corporeis quid ante lapsũ in hoc fuerit, ex sacris non apertè colligitur. Remotâ mortalitate &* cœlum *corruptibile dicimus, etsi de facto per naturã nunquam secundum se totũ corrumpatur.* Propinqua mortalitas *est, quâ aliquid accedente termino tandẽ mori debet, & de facto moritur. Quomodo post lapsũ omnes mortales sumꝰ, nisi peculiariter excipiamur.* Causæ *hujus mortalitatis sunt* partim *diabolꝰ seducẽs,* Sap. 2. v. 24. partim *peccator inducẽs,* Rom. 5. v. 12. Finis *ejꝰ est, ut sit pœna peccati.* Gen. 3. v. 19. Rom. 5. c. l. Oppositũ *ejus est immortalitas, quà mori aliquid nequit, eaq́;* vel absoluta, *quæ solꝰ DEI.* 1. Tim. 6. v. 16. vel cõparata, *quæ angelorũ.* Luc. 20. v. 36. *& animarũ humanarum.* Eccl. 12. v. 7. Matt. 10. v. 28. *Et hæc etiã de morte ac mortalitate dicta sunto, & cum his finis* decadis secundæ *Miscellaneorum* CUM DEO *esto.*